

Deum ex motivo timendi culpam, quæ separat a Deo, habet timorem filialem, quia proprium est filiorum nolle separari a patre, quem amant, et ex hoc timore operari: et ideo isti duo timores differunt specie propter diversitatem motivorum.

Cæterum quia contingit ex timore culpæ aliquem moveri in Deum, sed non ita perfecte, quod non etiam aliquo modo moveatur propter timorem pœnæ quod contingere solet in incipientibus, qui adhuc imperfecte moventur in Deum, et non cum plena cognitione, et dilectione bonorum spiritualium; ideo ponitur timor initialis, qui non differt in substantia a timore filiali, nisi sicut imperfectum a perfecto, sicut id quod transit de uno extremo ad aliud in initio adhuc retinet aliquid imperfectionis de priori extremo; et ideo timor initialis non est distincta species timoris a timore filiali licet aliquam imperfectionem habeat de timore servili a qua purificatur præsentem charitate, juxta illud 1 Joan. iv: *Perfecta charitas foras mittit timorem*, non quoad substantiam, sed quoad imperfectionem servilitatis: nam timor servilis malus non est, sed imperfectus: de se enim timere Deum propter pœnas, et malum pœnæ refugere non est malum, sed naturale, sicut et seipsum diligere, sed hoc principaliter fugere, et tamquam præcipuum malum timere servilitatis et imperfectionis est, idque charitas excludit.

Quibus omnibus octo articulis explicatis ostendit S. Thomas articulo nono dari timorem, qui sit donum Spiritus sancti; illud enim vocatur donum, quo redditur anima bene mobilis a Spiritu sancto inhabitante, et regulante nostras actiones, regulatione superiori, quæ procedit ex ejus instinctu, et in hoc elevatur supra virtutes, quæ solum regulantur secundum regulas rationis: per hoc autem quod aliquis refugit separari per culpam a Spiritu sancto redditur optime ei subjectus, et ab eo mobilis, quare timor filialis qui hoc præstat pertinet ad donum Spiritus sancti, non autem timor servilis, quia licet sit a Spiritu sancto ut movente, non tamen ut inhabitante per se loquendo: nec reddit animam perfecte mobilem, et obedientem Spiritui sancto, quia nondum timet separari per culpam, sed per pœnam: non tamen hoc donum est virtus theologica, quia non habet pro immediato objecto Deum, ut finem in quem tendat, sed ut potestatem inflictivam mali, quam reveretur. Ex quo ulterius ostendit sanctus doctor articulo decimo undecimo, quod talis timor filialis charitate præsentem non diminuitur, sed crescit cum in illa fundetur, et in patria non tollitur, quia ibi salvatur formale objectum, et primarius actus, qui est reverere Deum ut habet eminentissimam potestatem inflictivam mali, licet non habeat secundarium actum, qui est respicere illud malum, ut imminens, et infligendum, et refugere.

Denique in articulo ultimo ostendit D. Thomas quænam beatitudo sit actus hujus doni timoris; sunt enim beatitudines actus illi, qui eliciuntur a donis, quatenus per eos excellentius, et perfectius movetur homo, et appropinquat ad beatitudinem æternam, ut docet D. Thomas 1-2, quæst. LXIX, articulo primo. Correspondet autem timori prima beatitudo, quæ est paupertas spiritus, cujus nomine intelligitur exinanitio inflati et superbi spiritus, quatenus non vult aliquis magnificari nisi in Deo; hoc autem præcipue nascitur ex dono timoris, quia timor reverendo Deum ex consideratione divinæ magnitudinis æstimat propriam dignitatem quasi nihil, et sic resiliendo in propriam parvitatem, seipsum parvificat, et tamquam pauperem, et sine illa substantia se æstimat, juxta illud Psal. xxxviii: *Substantia mea tamquam nihilum ante te*.

In quæstione xx incipit explicare D. Thomas vitia opposita spei, scilicet desperationem, quæ illi opponitur per defectum, et præsumptionem, quæ opponitur per excessum: sed tamen non ita se habent extrema ista per excessum, et defectum in spe theologica, sicut in virtute morali, ut optime explicat sanctus doctor in præsentem quæstione xvii, articulo quin-

to ad secundum, quia in virtute morali medium invenitur ex parte formalis objecti, et extrema per recessum ab illo; in virtute autem theologica non datur medium ex parte objecti formalis, neque extrema per recessum ab illo, sed solum ex parte objecti materialis, quatenus ex subordinatione ad formale regulatur. Cujus ratio est, quia objectum formale virtutis moralis non est ipsa regula, sed aliquid regulatum per illam, quia respicit bonum, ut eligendum secundum regulas rationis; et quia contingit regulatum aliquando exorbitare a regula, aliquando illi subjici, quando subicitur dicitur esse in medio, quando exorbitat est in extremo aliquando per excessum, aliquando per defectum. At vero virtus theologica habet pro objecto formali immediato ipsam regulam, scilicet Deum in se, ipsum autem regulatum quod est bonum creatum non respicit nisi secundario et inconnotato. Unde ex parte objecti formalis nunquam potest exorbitari a regula, quia est regula ipsa materia virtutis: ex parte autem objecti materialis secundarii potest dari extremitas in his virtutibus, sicut in fide possunt esse errores extremi circa veritates credibiles, attingendo illas diverso modo; et in spe dantur extrema vitia, dum vult aliquis ipsam consecutionem gloriæ sine debita proportione, quod est nimis præsumere, vel non vult etiam ea quæ sibi sunt proportionata ex auxilio divino, quod est desperare. In hoc ergo vitio desperationis considerat S. Thomasia. Primo, ipsum fundamentum, et principium quasi intrinsecum, unde habet esse peccatum: secundo, illud principium unde habet gravitatem, quod pertinet quasi ad speciem peccati: tertio, principium extrinsecum unde habet originem per modum moventis, et impellentis hominem in desperationem.

Circa primum ostendit sanctus doctor, quod principium ut desperatio sit peccatum, est quia difformatur rectæ regulationi, et conformiter se habet ad falsam existimationem de Deo (intellige existimationem, ut regularem practice et in particulari, non ut cognoscentem in universali et speculative) neque enim ad desperandum necesse est existimare in universali, quod Deus nolit subvenire peccatori, sed solum quod sibi in particulari nolit de facto, et ex parte eventus. Unde non est necesse ad desperationem habere infidelitatem amittendo fidem, quæ docet in generali Deum omnibus dare remedia salutis, sed sufficit deficere in applicatione practica fidei, et ita in articulo primo ostendit desperationem esse peccatum; in secundo, quod potest esse sine infidelitate.

Circa secundum ostendit D. Thomas gravitatem desperationis, vel ex parte sui objecti, vel ex parte nostra, id est, effectuum, quos causat in nobis. Ex parte objecti, infidelitas, quæ opponitur fidei, et odium Dei quod opponitur charitati, sunt graviora peccata quam desperatio, quia attingunt magis Deum in se, vel saltem possunt attingere. Nam odium Dei detestatur ipsam divinam potestatem, et bonitatem; infidelitas autem ipsam veritatem, non solum ut testificantem, sed etiam ut rem cognitam, sicut quando negat Deum esse trinum. Desperatio autem nunquam attingit ipsam Dei bonitatem in se, sed in sui participatione, quia licet spes directe attingat bonum divinum, ut possibile adipisci, tamen desperatio non contrariatur spei ex parte boni, sed ex parte possibilis, non quantum ad possibilitatem activam; quam non negat in Deo, sed secundum applicationem ejus ad nos, et hoc est contrariari divinæ bonitati, sive misericordiæ divinæ in sui participatione. Neque negat divinam bonitatem, imo quia nimis excessivam reputat, desperat. Cæterum ex parte nostra desperatio, est gravior infidelitate, et odio Dei gravitate periculi et damni, quia periculosissima res est desperatio, utpote effræate præcipitans judicium.

Tertio explicat S. Thomas articulo quarto principium, seu vitium capitale unde oritur desperatio; ipsa enim non tam est vitium capitale, quam finale; oritur autem desperatio (inquit S. Thomas) tum ex luxuria, tum ex

accidia; cum enim objectum spei sit bonum arduum possibile adipisci, illa vitia movent ad desperationem specialiter, quæ tollunt existimationem boni ardui, vel existimationem possibilis; existimatio autem boni ardui tollitur per luxuriam, quia affectus delectationis carnalis sic hominem absorbet ut non cogitet bona spiritualia tamquam magna et ardua, et sibi delectabilia, sed fastidiat ea; et ideo ex bono carnali insurgit motus desperationis circa bonum summe spirituale. Existimatio autem de possibilitate adipiscendi tollitur per accidiam, id est, tristitiam de rebus spiritualibus: tristitia enim est dejectiva spiritus, animus autem dejectus non existimat possibile sibi aliquid magnum, neque ad illud erigitur; unde desperat de eo adipiscendo. Propter quod frequentius videmus homines tristes, et melancholicos esse dispositos ad desperationem, quia ex dejectione animi non sunt valde aggressivi, sicut oportet esse spem.

In quæstione vigesima prima agit sanctus doctor de vitio contrario spei per excessum, quod est præsumptio; circa quam considerat S. Thomas quatuor. Primo, quod præsumptio quæ contrariatur spei theologicæ etiam innititur divinæ virtuti, sed falso existimata: secundo, quod sit peccatum: tertio, unde habeat contrariari spei et timori: quarto, quod sit principium extrinsecum quasi movens, et impellens ad præsumendum, et hoc ultimum pertinet quasi ad causam extrinsecam; tria prima quasi ad intrinsecam rationem. Est autem notandum, quod sicut desperatio versatur circa rationem possibilis, existimando non esse aliquid possibile practice, sic præsumptio versatur circa possibile nimis, existimando aliquid esse possibile: unde non tendit per excessum in bonum quod est Deus directe; sed in ipsam possibilitatem, et assecutionem ut applicandam nobis. Et quia dicitur aliquid possibile ratione facultatis cui innititur ad aliquid consequendum, inde est, quod in spe humana innititur aliquis facultati propriæ, seu creatæ, ad aliquid consequendum, et si inordinate innititur, ita quod sperat ea quæ excedunt propriam facultatem, præsumptuose sperat, quia ultra propriam facultatem præsumit. In spe autem divina, quæ innititur divinæ potentiæ non absolute consideratæ, sed ut ordinatæ per divinam sapientiam et justitiam, dantem unicuique quod proportionatum est, tunc aliquis præsumptuose sperat et immoderate, quando tendit in aliquid possibile non secundum ordinem divinæ sapientiæ et justitiæ; et sic præsumptuosus licet ex una parte videatur magnificare divinam potentiam nimis in ea sperando, tamen simpliciter contemnit illam, et diminuit non absolute, sed quantum ad ordinem suum, quia ordinatæ potentiæ non innititur. Et cum ordo iste constituatur per divinam justitiam, quia gubernat omnia ordinatissima providentia; ideo præsumptio dicitur contrariari divinæ justitiæ sicut desperatio Dei misericordiæ, et specialiter est peccatum in Spiritum sanctum, quia contemnit Dei adiutorium, non volendo illud eo ordine quo datur a Deo: abjecto autem adiutorio Dei eo modo quo a Deo datur, contemnitur illud principium per quod homo revocatur a peccato, et hoc dicitur peccatum in Spiritum sanctum, quia licet omnia peccata sint contra Dei majestatem, quia tamen Spiritui sancto specialiter attribuitur infusio donorum quibus justificamur a peccato; ideo illa peccata, quæ specialiter opponuntur principiis revocantibus a peccato resistunt Spiritui sancto.

Ex hoc autem quod præsumptio immoderate innititur divinæ potentiæ, colligit sanctus doctor articulo secundo quod habet rationem peccati eodem modo quo desperatio, scilicet quia est appetitus conformis falso intellectui, id est, falso dictamini practico, quo æstimatur posse consequi a Deo id quod non est possibile secundum ordinatam potentiam, verbi gratia, veniam peccatorum sine recta pœnitentia, vel gloriam sine meritis. Et notat S. Thomas, quod peccare sub spe veniæ aliquando diminuit, non aggravat peccatum, quando scilicet peccatur cum æstimatione veniæ percipiendæ mediante recta pœnitentia, quia est iudicium quod animus non

est nimium firmatus in peccato; peccare autem sub spe veniæ percipiendæ etiam sine pœnitentia, vel non curando de pœnitentia, est peccatum præsumptionis, et gravissimum, quia firmat animum ad peccandum.

Colligit præterea in articulo tertio, quod præsumptio contrariatur spei et timori, sed timori ratione sui generis, spei vero ratione suæ differentitiæ; et ideo per se magis contrariatur spei. Est enim præsumptio excessiva, seu inordinata spes, ex ipsa ergo ratione generica qua communicat cum spe, movetur in objectum contrario modo quam timor, quia timor refugiendo spes aggrediendo procedit, et quia præsumptuosus nimis aggreditur, totaliter excludit timorem. At vero ex parte inordinati modi sperandi, contrariatur præsumptio ordinato modo sperandi, quod pertinet ad differentiam spei, ut virtuosa et recta est, unde contrariatur illi intra idem genus.

Denique in articulo quarto ostendit S. Thomas originem extrinsecam præsumptionis, et est duplex; nam præsumptio, quæ innititur propriæ virtuti, et opponitur magnanimitati oritur ex inani gloria; ex eo enim quod multum aliquis desiderat gloriam, attentat ea quæ supra vires proprias sunt, et præcipue (inquit S. Thomas) attentat nova, quæ majorem admirationem habent, ideoque signanter dixit S. Gregorius xxxi moralium, capite xxxi, quod præsumptio novitatum, est filia inanis gloriæ. At vero præsumptio, quæ innititur per excessum divinæ virtuti, et contrariatur directe spei theologicæ, videtur nasci ex superbia, quia ita aliquis se æstimat quasi absolutæ potentiæ, non ordinatæ innitatur, ita ut nec peccantem Deus puniat, vel a gloria excludat.

In quæstione vigesima secunda agit ultimo D. Thomas de præceptis quæ in lege data sunt de actibus spei, et timoris, quæ in ipsa littera satis clara sunt, et difficultate vacant.

Sic ergo explicato ordine, et sensu litteræ D. Thomæ ad plenioram intelligentiam earum difficultatum, quæ in hac materia controverti solent in quatuor disputationes hunc tractatum distribuimus. In prima agemus de objecto formali, et materiali, et natura spei theologicæ: in secunda, de subjecto spei: in tertia, de dono timoris: in quarta, de desperatione, et præsumptione.

## DISPUTATIO IV.

DE OBJECTO FORMALI ET MATERIALI, ET  
NATURA SPEI THEOLOGICÆ.

boni, juxta quod illam nominat  
Apostolus inter has virtutes 1 Co-  
rinth. xiii: *Nunc autem manent, fi-  
des, spes, charitas, tria hæc.*

## ARTICULUS I.

*Quod sit objectum formale spei theo-  
logicæ?*

Exacta cujuscumque virtutis consideratio ex tribus pendet, scilicet ex objecto a quo specificatur, ex habitu in quo consistit, ex actibus ad quos ordinatur, et hæc omnia in hac disputatione tractanda sunt, ut quidditas virtutis spei scientificè cognosci possit. Nec tempus terendum est in variis nominibus, et acceptionibus spei explicandis, sed nomine spei intelligimus unam ex virtutibus theologis, quæ facit nos tendere in consecutionem summi

I. Recolenda est doctrina, quam supra in tractatu de fide, disputatione prima, articulo primo. Late explicavimus de distinctione objecti materialis et formalis: et rursus objectum formale potest sumi dupliciter. Primo, pro ratione forma-